

2/10/75.

4.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

SISTENS:

COGITATA QUAEDAM
PATHOLOGICA ET THE-
RAPEUTICA.

QUAM,

CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICO-
RUM ORDINE IN UNIVERSITATE CAE
SAREA LITERARUM DORPATENSI,

PRO

GRADU DOCTORIS MEDICINAE
RITE OBTINENDO,

LOCO CONSUETO

PUBLICI DEFENDET

AUCTOR,

FRIEDERICUS CAROLUS BEIER,

BERINGAE — SUEVUS,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE STUDIOSUS.



DORPAT,

LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXII.

Inprimatur.

Daniel Georgius Balk,

Medicinae et Chirurgiae Doctor, Pathologiae, Semiotices et Therapiae Professor publicus ordinarius, Instituti medico-clinici, instituti, quod asphycticorum curam gerit, nec non collectionis pathologicae Director; a consiliis collegiorum Russicis etc.

Dorpati, d. XII. April MDCCCXII.

D18476

Ignoscet mihi, spero, amplissimus medicorum ordo cum lectoris, ut Cogitata quaedam loco Dissertationis uberioris offerre ausus sim. Alumnus enim abituriens Imperialis tum tempore, tum pecunia, quam impensae typographicae dissertationis, pagellarum copiam implentis, exigunt, careo. Pauca modo e vasto medicinae ambitu proponam, an selecta sint? — de eo judicare mei non esse credidi.



I. Cogitata quaedam pathologica.

Negotium hominis, quantum valeat ad mutandum morborum genium pathologicum, decursum, formas externas, neminem medicorum fugit, cum modo in artis exercitio paullulum versatus sit. Quam rem optime perspexerunt atque de

illa egregie commentati sunt cl. Tissot ^{a)} A. G. Camper ^{b)} Ramazzini ^{c)} Adelmann ^{d)} Hunnius ^{e)} alique. Idem sine dubio valet de morbis militi peculiaribus, de quibus tot scripta extant, Liceat tamen, quaedam pathologiam morborum castrensi-um spectantia hoc loco proferre.

Praecipuas, quae morborum castrensi-um genesi favent, causas in medium adduxisse juvabit. Hinc pertinent.

a. Mutatum vitae genus, simulac milites castra, tempore pacis occupata, reliquerunt.

Discessio ab uxore, liberis, agnatis, notio instantis mortis aut mutilationis animo concepta, pathematâ deprimentia inducunt. Quod si militi seni jam evenit, eo magis tironi, qui ad expeditionem contra hostem egreditur,

a) De valetudine literatorum. Lipf. 1769.

Essay sur les maladies des gens du monde. Amst. 1771.

b) Abhandlung über die Krankheiten, die sowohl den Menschen, als Thieren eigen sind. Luigen. 1788.

c) Abhandl. von den Krankheiten der Künstler und Handwerker. Uebers. v. J. Ch. G. Ackermann, Stendal 1780.

d) Ueber die Krankheiten der Künstler und Handwerker. Würzburg 1803.

e) Der Arzt für Schauspieler und Sänger. Weim. 1798.

b. Iter acceleratum, potissimum calore solis ingravescente, aut tempestate humido - frigida, aut vento flante adverso; ne reticeam, militem iter facientem sarcinis non raro gravibus esse oneratum.

c. Vestes hinc illinc nimis angustae, abdomen inprimis cum thorace comprimentes, corpus non omnibus in regionibus aequaliter calefacientes

d. Munditiei defectus, inprimis quod pedes spectat. Defectus balneorum, indusiorum, quae mutari possint; dira pediculorum vexatio.

e. Nutrimenrorum inopia aut conditio prava, qualitas eorum vapida, incitamento necessario et particularum bene nutrientium copia carens. Quae eo certius morborum genesi favent, quo fatigatior miles itinere, vigiliis, pugnis praegressis reperitur. Inopia carnis et panis bene cocti, Salis culinari, aquae purae fontanae, cerevisiae bonae, quin Spiritus frumenti genuinae indolis, hoc erit loco referenda. Adungere liceat, ut miles per-biduum et quod excurrit omni nu-

trimentorum genere interdum plane destitutus, nunc copiam illorum accipiat et organa digestionis debilitatem directam perpressa immodice superim-
plens perniciem sibi adferat.

f. Tabernacula solo humili et humido, aut in vicinia paludum constituta.

g. Miles, stramentis carens, saepius in solo hoc, pallio modo tectus, quin tabernaculo omnino carens, sub caelo decubare cogitur.

h. Concubatio militum plurium uno sub tabernaculo, aut hypocausto rustico angustiori qua aër ita depravatur, ut inspirationi et sanguinis oxydationi vix amplius inservire possit.

i. Vicinia latrinarum circa tabernacula.

k. Ignes excubiarum, qui alterum corporis latus calefaciunt, cum alterum frigeat, aut humo gelido humidoque incumbat.

l. Somnus denegatus, se- et excretiones turbatae, ciborum assumptio ordinem non servans, metus, cura e. fl. porro.

Causae omnes, nunc enumeratae debilitantes agunt in machinam corporis organicam et inde ratiocinatio elici potest maximam partem morborum castrensium, ne

omnes dicam, caractere astheniae pathologico esse stipatam.

— 2. —

Typhus qui dicitur castrënsis, aequè ac febris puerperarum, species febrium singulares esse mihi non videntur. Causarum, quas supra enumerare licuit, multitudo ac natura ad exponendum febris istius ortum, decursum, phaenomena exitumque saepe saepius perniciosum sufficiunt; non minus ex illis genius hujus morbi contagiosus apte intelligitur. Multitudo aegrotorum eodem tempore parvulam regionem occupantium morbo cuivis characterem valet induere contagiosum, cujus characteris morbus idem, cum modo sporadice obveniat, omnino expers sit. Quod ea quidem experientia egregie demonstratur, ut morbus quivis epidemicus, in initio imperii sui characterem sporadici ferat, duratione autem longiori primum contagiosam sibi vindicet naturam. Paucis enim contagiis exceptis, quorum ad numerum virustantum venereum et virus variosum refero, omnia alia (miasmata scarlatinae et morbillarum non excipio) in quavis epidemia, ut persuasum mihi est, de novo reproducuntur.

3.

Non in systematibus solam sic dictis nosologicis, sed in compendiis etiam practicis, si Reilii ^{f)} librum classicum et non nulla recentissimorum medicorum scripta excipiam, febres gastricae generis instar adducuntur, quas diversas iterum in species dispecere mos est. Sordes, seu colluvies abdominalis diversi generis, diversarum specierum febrium gastricarum causae accusantur. Quae cum ita se haberent, remotio sordium per evacuantia curae rationalis et causalis nomine digna esset. Hoc medicis saeculi praeteriti ita visum est et principes eorum docent: febres gastricus non, nisi solventibus, tum vero evacuantibus esse debellandas.

Nec desunt tamen alii, doctrina, ingenio, experientia et nominis autoritate non viliores, qui omni medicina evacuantibus febribus in gastricis abstinendum esse jubent atqui iis tantum remediis utuntur, quae uti leniter excitantia et tonica in digestionis viscera agunt. Non juvenis esse, tantos componere lites, lubenter confiteor; liceat

f) Ueber Erkenntniss und Kur der Fieber, Halle 1799.

tamen addam, qualis sententia mihi ad veritatem et naturam magis accedere videtur. Saburra gastrica, pituitosave, si febrem, quam dicunt biliosam, aut pituitosam, gigneret et tanquam causa foveret; necesse esset: ut.

1^{mo}. Phaenomena hujus colluviei primas vias inundantis primum febris initium semper antecederent. Quod vero interdum modo observatur et tunc casu accidit. Multo saepius febris per plures jam dies organismum infestatur, antequam colluviei abdominalis phaenomena apparent.

2^{do}. Ut remotis Sordibus per evacuationia febris statim non solum mitior evaderet, sed omnino etiam evanesceret. Et hoc, experientia genuina duce, nulla affirmatur ratione. Remanet febris post tot evacuationes; imo interdum in crescit et diuturnior evadit.

3^{tio}. Ut saltem magnitudo febris sordium multitudini responderet. Attamen ingravescente febrilioso interdum nihilominus lingua, nec muco flavo obducitur, nec conjunctiva oculi, nec regio circa nasum et os

flavescit, nec faeces denique alvinae dejiciantur biliosae.

Quibus experientiis convictus veram febrium gastricarum naturam in incitabilitate abnormi viscerum abdominalium, quae fere semper characterem fert astheniae irritabilis aut torpidae, ponendam esse mihi videtur, quae pro cura causali methodo potius sedativa, aut excitante, quam mere anti-gastrica eget, etsi negare non cupio, ut interdum consilii sit, dato emetico Saburram, quasi causam accessoriam, aut prae ductum potius febris gastricae, quod iterum munus causae accessoriae obit, eliminare. Enemata e plantis mucilaginosi et leniter aromaticis propinata, quae perquam salubria in febribus ejusmodi generis se praebent, non evacuando, sed sedando incitandoue salubres suas producant effectus. Sic unguento antispasmodico regioni hepatis aliquoties per diem illito et fomentationibus aromaticis, aut sopientibus, huic regioni superimpositis, usu remedium internorum ejusdem virtutis non

neglecto, saepissime vidi in instituto Universitatis nostrae clinico, ut omnia symptomata febris biliosae brevi perquam tempore evanescerent, nulla data medicina evacuante.

II. Cogitata et observata therapeutica.

In provinciis Imperii Russici circa litora maris Baltici positis, potissimum vero in Livonia et Esthonia, magnam morborum nonnullorum frequentiam observare medico accidit, qui multo rariores regionibus in aliis occurrunt: hydrocelen puto, hydropem universalem et ascitem, fungum articulorum, fluorem album mulierum, phthisin pituitosam (et purulenta apud nos sat sibi victima mactat) rheumatismum chronicum inveteratissimum, luem veneream inveteratam et multis modis variatam, ulcera pedum veterrima, trichiasin, aliosve nobis oculorum chronicos maximeque rebelles.

Causas frequentiae hujus in climatis conditione inimica nec non in vitae genere incolarum esse quaerendas, nulla ratione

dubito. Quibus de morborum formis pauca, quae methodum medendi ejusque eventum spectant, e diariis instituti clinici, quod cl. Balk, Pathologiae et Therapiae in hac Universitate Professor, moderatur, proferre atque illustrare, non a re mea alienum esse putavi.

I.

De hydrope ascite et anasarea.

Decem fortasse aegrotos, diro hoc morbo laborantes, in spatio biennii, per quod institutum clinicum Universitatis Dorpatensis adii, videre licuit. Omnes in pristinam sanitatem restituebantur. Sed non omnibus, ut fieri solet, una eademque formula praescripta est; nulli purgantia drastica, nec leniora, quae tamen in medela hujus morbi tot encomiis celebrantur, propinabantur; nec instituebatur paracentesis. Duplex erat methodus generalis, qua pro basi rationis medendi utebamur: leniter incitans et sedatiua: utrique addebantur pharmaca, quae blande urinam movent. Incitantia dedimus illis, qui ex asthenia orificiorum vasorum arterioso-serosorum torpida, seu quasi eorum paralyti; hydrope erant adfecti. Infu-

sum e.g. radicis calami aromatici, aut florum
arnicae, aut Herbae menthae piperitae cum
pauillo extracti Myrrhae aquosi, aut ex-
tracti corticis peruviani frigidi, et quanti-
tate sufficiente Oleosachari Juniperi, aut
oleosachari Terebinthinae nuptum. Si pul-
veris formam praeferre non displicuit, e
baccis juniperi leniter tostis, lacte sulphuris
et Oleosachar. foeniculi, aliove, illam com-
posuimus, simulac vero incitabilitas va-
sorum quodammodo erat resuscitata, quod
e pulsu potissimum et promotiori lotii ex-
cretionem judicavimus, missis pro basi ex-
citantibus ad usum subtonicorum esse con-
fugiendum nobis visum est; e quibus in-
fuso-decoctum glandum quercus leniter tos-
tarum cum extracto Millefolii prae aliis ele-
gimus, iterum addito Oleosacharo Juniperi,
aut diuretico mitiori alio; vel pulverem e
partibus aequalibus baccarum Juniperi tos-
tarum et oleosacharo Millefolii cum granis
nonnullis corticis peruviani regii. Rarius modo
enemata aromatico tonica insuper porrige-
bantur.

Regimen aptum, aër calidus et siccus
motus denique et frictio corporis repetita
non negligebantur. Methodo e contrario se-

dativa, ut basi, in iis usi sumus, quorum hydrops e nimia vasorum exhalantium irritabilitate ortum duxit. Tali rerum conditione herba digitalis purpureae, quae priori hydropum generi maxime est obnoxia, laudes meretur eximias. Grana videlicet duo hujus plantae, cum lacte sulphuris et oleo saccharo Juniperi, quater in die propinauimus, superbibendo vasculum infusi theaeformis e herba millesolii. Interdum etiam pauxillum extracti aconiti aut foliorum belladonnae addendum esse boni consuluimus. Sedata hac irritabilitate nimia connubium tonicorum mitiorum cum antedictis elegimus. Methodos has simplices eventus semper optatissimus secutus est. Errores, qui circa medelam morborum hydropicorum saepe saepius committuntur, in eo quaerendos esse censeo:

- 1.) ut, cum nimis cito illis mederi velimus, remediis utamur heroicis, quae tumultum viribus naturae injiciunt, has exhauriunt, et frangunt. Abusus purgantium drasticorum prae aliis huc referri meretur.
- 2.) Ut duplicem, quem supra memora-
vimus, hydropis characterem negligamus, qui tamen tanti valet in medi-

cina practica. Digitalis purpurea, quam sine discrimine aegrotis propinare medici plures huc usque consueverant, illi tantum generi hydropum medetur, quod e nimia vasorum exhalantium irritabilitate et activitate profluit, cum planta haec activitatem istam nimiam domet; in hydrope vero generis alterius, utijam monuimus, multum detrimenti aeger capit e digitalis usu.

2.

De fluore albo mulierum.

De rebelli hujus morbi natura fere omnes queruntur, qui regionibus in borealibus medicinam faciunt. Siquidem foedae hujus blennorrhoeae fontem nostro sub caelo non e herpetico vaginae affectu promanentem observavimus, quod Cl. Weinholdo g) in nosocomiis quibusdam Galliae videre contigit, tamen omnes in eo conveniunt medici melioris notae, causam morbi in asthenia glandularum vaginalium inesse, quae incitamento insuper abnormi stimulantur. Quo ratiocinio ducti martialibus po-

g) Der Graphit, als neu entdecktes Heilmittel gegen die Flechten. Leipzig.

tissimum usi sunt, non raro operam nullam, saltem non permanentem ferentibus. Nec eventu multo feliciori graphitem ad consilium Weinholdi diro hoc morbo porrigimus, etsi in eo lubenter laudato cum auctore convenimus, ut ferrum in graphite cum carbonico arctissime conjunctum sit. Postquam vero periculum fecimus, quanti valeat magnesium oxydatum nativum in medela blennorrhoeae vaginalis, mox de eo convicti sumus, ut remedium hoc ceteris palmam eripiat. Pluries enim spatio quatuor aut sex hebdomadum usu ejus morbum perfecte vincere nobis contigit. Grana decem, quindecim, aut duo de viginti, imo scrupulum, nonnullis cum granis corticis Cinanomi veri quater in die sumere jussimus, neglectis remediis aliis internis. Et eventus spem nostram non fefellit. Virtutem magnesi salutare tum oxygenio, quod stimuli necessarii munus in vasa obit, partim autem ferro, quod cum magnesio, etsi purissimo, semper fere conjunctum reperitur tribuimus^{h)}. Color magnesi perfecte oxydati

h) Grens Handb. d. gesammten Chemie. 3. Bd. S. 3449. Al. Nic. Scherer Grundriss der Chemie. S. 437.

niger hoc etiam demonstrare videturⁱ⁾.
Quam ob causam etiam non pavidè cura-
vimus, ut frustula hujus fossilis a phar-
macopolis rejiciantur, in quibus forsàn fer-
rum carbonicum scateret, uti jubet phar-
macopoca Borussica^{k)}.

i) Scherer l. c. §. 435. Grindel Handb. der theo-
ret. Chemie S. 61.

k) Preussische Pharmacopoe, v. Juch. Nürnberg, 1805.
S. 91.

T h e s e s.

I.

Ad eruendam morbi aut mortis causam, non solum cavitates corporis, sed omnia etiam viscera sine exceptione, nec non vasa praecipua, glandulae et nervi diligenter in sectionibus pathologicis et medico-forensibus examinentur.

2.

Dysenteria non semper est catarrhus intestinorum.

3.

Salibus, quae neutra dicuntur, plerumque in praxi medica abutimur; potissimum in castrensi.

4.

Non omnibus in Inflammationibus asthenicis a venaesectione erit abstinendum.

5.

In medela ulcerum chronicorum unguentis et emplastris abutimur.

6.

Haemorrhoides fluentes non sunt haemorrhagia activa
